Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite
Quelle:
Copyright:

LECTORI.

minutis ſaepe quaeſtiunculis diſcuſſis lucem magnam gravioribus etiam argumentis affundi, ſecarique momento nodos Gordios, qui diu luſere doctorum virorum induſtriam; corrigendos modeſte, ſi qui circa Scriptores, Scriptave inolevere, prioris aevi lapſus; Codicum recenſioni, quam profitemur, non inſerendos, ſi breviſſima quaedam excipias, ipſos Codices, ne res in immenſum exeat, ſatis enim eſſe, ſi Bibliothecae et veniam, et opportunitatem Eruditis offerant, ex opibus ſuis reconditis ea, quae viſum fuerit, preli miniſterio in lucem efferendi; ſtandum denique generatim Promo literariae Promulſidis egregio illo Poetae monito:

Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici.

Haec me in univerſa tractatione intuitum, haec ſecutum deprehendes, Lector! At nempe actum egi? Extant enim in Bibliotheca Palatina Volumina complura bene magna, quibus Joh. Benedictus Gentilotus Vir integerrimus et doctiſſimus Deceſſor noſter ab anno MDCCVI. ad annum MDCCXXIII. non tantum Codices, quos hoc *Volumine* repraeſento, ſed totam, ut tunc erat, Mſs. Linguarum occidentalium ſupellectilem enarrando complexus eſt. Magnis cum Virum, tum labores ejus ſane indefeſſos laudibus proſequitur Succeſſor Kollarius *Edit. Lambec. L. I. Supplem. col. 732.* quin tamen diſſimulet: *Commentaria* ejus *non itidem lima perpolita eſſe ultima, ut primo quovis die, ſperata cum laude, prelum ſubire queant.* Rationes, quas adfert, hic repetere ſuperſedeo, nec, quod dicturus ſum, adderem, niſi nixus conſcientia, me per exactam longam aetatem ingenium, moresque meos in publicum ita probaviſſe, ut ab omni ſuſpicione vanae gloriolae, invidae obtrectationis, et periculo *riſum furtivis coloribus movendi* procul abeſſe debeam. Itaque ajo: et Kollarium in laudandis dictis Commentariis pluſculum indulſiſſe pio erga Gentilotianos Manes affectui, et, ut ab annis his LXX. non parum tam Rei literariae, quam της Κρισεως facies, ſaporque mutatus eſt,